

1 Venerabilis in Christo Domine Frater. Anni sunt fere quadraginta, quod invicem nos viderimus: sed ego tamen veteris nostrae consuetudinis nunquam oblitus sum, teque in vinea Domini strenue laborantem, quando aliter non potui, orationibus Deo commendare
5 non destiti: me quoque in tua memoria toto hoc tempore vixisse, et in tuis orationibus ad altaria Domini locum aliquem habuisse non dubito.

Ita igitur ad hoc usque tempus, non verbis, aut literis, sed opere, et veritate, ut Sanctus Ioannes loquitur, alter in alterius
10 dilectione permansimus. Sed hoc silentium rumpere coegit nuncius, qui diebus istis de tuis vinculis, et carcere ad nos venit: qui quidem nuncius, etsi tristis videri poterat ob iacturam pastoralis tuae sollicitudinis, quam ecclesia ista fecit; tamen laetus quoque videbatur, quoniam ad martyrii gloriam, quo dono Dei nullum est
15 felicius, propinquabas: ut qui tot annis gregem tuum verbis, et doctrina pavisses, nunc exemplo patientiae gloriosius pasceres. V Verum hanc laetitiam non mediocriter interturbavit, ac fere corripit tristis alius nuncius, qui de constantia tua in resusando illicito iuramento, ab adversariis tentata, forte etiam labefactata
20 et prostrata successit. Neque enim, frater charissime, iuramentum illud ideo licitum esse potuit, quod aliquo modo temperatum et modificatum offerebatur: eis enim, eiusmodi modificationes nihil esse aliud, quam satanae dolos atque versutias, ut fides catholica de primatu Sedis Apostolicae, vel aperte, vel obscure petatur; pro
25 qua ~~si~~ fide tot inclyti martyres in ista ipsa Anglia ad sanguinem usque pugnarunt. Certe enim quibuscumque verbis iuramentum ab adversariis fidei concipiatur in regno isto, eò tendit, ut auctoritas Capitis ecclesiae à successore Sancti Petri ad successorem Henrici octavi in Anglia transferatur. Quod enim obtenditur de periculo
30 vitæ regis, si Summus Pontifex eam in Anglia potestatem ha-

beat, quam in aliis omnibus christianis regnis habet, inane prorsus esse omnes, qui sunt aliqua prudentia praediti, facile vident: neque enim auditum est umquam ab initio nascentis ecclesiae, usque ad haec nostra tempora, ut ullus Pontifex maximus principem ullum, 5 quamvis haereticum, quamvis ethnicum, quamvis persecutorem, caedi mandaverit, aut caedem forte ab aliquo patrata probaverit. Et cur quaeso unus rex Angliae timet, quod ex tota christianis principibus nullus timet, nullus timuit? Sed ut dixi, vani isti praetextus decipulae sunt et stratagemata satanae, qualia non pauca in historiiis veterum temporum inveniuntur, quae facile referre possem, si non epistolam, sed librum integrum scribendum suscepissem. Unum tantum, exempli gratia, ad memoriam tibi revocabo. Scribit Sanctus Gregorius Nazianzenus in prima oratione in Iulianum imperatorem illum, ut simplicibus christianis imponeret, in imaginibus impera- 10 toriis, quas romani civili quodam genere honoris pro more adorabant, imagines deorum falsorum admiscuisse, ut nemo posset imperatoris imaginem adorare, quin simul deorum simulachris cultum adhiberet. Hinc nimirum fiebat, ut plurimi deciperentur; et si qui forte fraudem subodorati, imperatoris imaginem venerari recusarent, ii gravissime punirentur, ut qui Caesarem in sua imagine contempsissent. 20

Tale aliquid in iuramento vobis oblato, mihi videre videor; quod ea fraude compositum est, ut nemo possit prodicionem in regem detestari, civilemque subiectionem profiteri, quin primatum Sedis Apostolicae perfide abnegare cogatur. Sed Christi servi, ac praesertim primatii Domini sacerdotes, ubi periculum fidei subesse possit, tantum abesse debent a susceptione illiciti iuramenti, ut ab omni etiam suspitione simulationis praestiti iuramenti cavere debeant, ne fidelibus populis ullum praevaricationis exemplum reliquissse videantur. Quod egregie praestitit insignis ille Eleazarus, qui 30 neque porcinas carnes comedere, neque simulare voluit comedisse, quamvis gravissima tormenta sibi cerneret immineri; ne, ut ipse ait

/ in 2. libro Machabaeorum, multi iuvenum per eam simulationem ad legis praevaricationem animarentur. Neque minus fortiter magnus Basilius, et exemplo ad res nostras magis accommodato, cum Valente imperatore se gessit; nam, ut in historia scribit Theodoretus, cum
5 praefectus imperatoris haeretici hortaretur Sanctum Basilium, ut non vellet propter parvam dogmatum subtilitatem imperatori resistere, respondit vir ille sanctissimus, et prudentissimus: Non esse ferendum, ut de divinis dogmatibus, vel una syllaba corrumpatur, sed potius pro eorum defensione omne genus supplicii amplectendum. E-
10 quidem arbitror non deesse apud vos, qui dogmatum subtilitatem esse dicant, quae in iuramento catholicis hominibus proposito continentur, et non esse propter rem tam parvam regis imperio reluctandum. Sed non deerunt etiam viri sancti, ac magno Basilio similes, qui palam affirmabunt, non esse de divinis dogmatibus, vel minimam ali-
15 quam syllabam corrumpendam, etiamsi tormenta, et mors ipsa toleranda proponantur. Inter hos unum, vel potius horum principem, atque antesignanum te esse par est. Et quamvis vel inopinata comprehensio, vel acerbitas persecutionis, vel senectutis imbecillitas, vel quid aliud in causa fuerit, ut constantia titubaverit, confidimus
20 tamen de Domini pietate et de diuturna tua virtute fore, ut qui Sancti Petri, et Sancti Marcellini casum aliqua ex parte imitatus videris, eorundem fortitudinem in reparandis viribus et veritate asserenda feliciter imiteris. Nam si rem totam diligenter apud te cogitare volueris, videbis profecto non esse rem parvam, quae ob iura-
25 mentum istud in discrimen adducitur, sed unum ex praecipuis fidei nostrae capitibus, ac religionis catholicae fundamentis: audi enim quid apostolus vester magnus Gregorius in epistola 42 libri undecimi scribat: Apostolicae Sedis reverentia nullius praesumptione turbetur; tunc enim membrorum status integer perseverat, si caput
30 fidei nulla pulsetur iniuria. Itaque, Sancto Gregorio teste, cum de primatu Sedis Apostolicae vel turbando, vel minuendo, vel tollendo s

/ satagitur, de ipso capite fidei amputando, et de totius corporis, omniumque membrorum statu dissipando satagitur. Quod ipsum Sanctus Leo confirmat in sermone 3^o de assumptione sua ad Pontificatum, cum ait: Specialis cura Petri a Domino suscipitur, et pro fide Petri
5 proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. Ex quo idem ipse in epistola ad episcopos Viennensis provinciae affirmare non dubitat, necesse esse exortem illum mysterii esse divini, qui ausus fuerit a Petri soliditate recedere. Qui rursum ait: Quisquis huic Sedi principatum ex-
10 istimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiae suae semetipsum in inferna demergit. Atque haec quidem, et alia eiusdem generis multa tibi notissima esse certo scio, qui praeter caeteros libros, visibilem monarchiam Sanderi tui, scriptoris diligentissimi, et de ecclesia angli-
15 cana optime meriti, saepe legisti; quique ignorare non potes sanctissimos viros, eosdemque doctissimos Ioannem Roffensem, et Thomam Morum, pro hoc uno gravissimo dogmate duces ad martyrium plurimis aliis, cum ingenti Anglicae nationis gloria, nostra memoria fuisse. Sed ad memoriam tibi revocare volui, ut colligas te, et magnitudi-
20 nem rei considerans non tuo iudicio nimium fidas, neque plus sapias quam oportet sapere; et si forte lapsus tuus non ex inconsideratione, sed ex infirmitate humana, ex metu carceris, et suppliciorum profectus est, non anteponas libertatem temporalem libertati gloriae filiorum Dei, neque ob momentaneam et levem tribulationem fugi-
25 endam, amittere velis aeternum gloriae pondus, quod ipsa tribulatio operatur in te. Bonum certamen diu certasti, cursum fere consummasti, fidem tot annis servasti: noli igitur tantorum laborum praemia tam facile perdere; noli corona iustitiae, quae tibi iamdudum paratur, te ipse privare; noli tot fratrum et filiorum tuorum vultus
30 confundere. In te sunt hoc tempore coniecti oculi totius ecclesiae, quin etiam spectaculum factus es mundo, angelis et hominibus; noli

/ in extremo actu ita te gerere, ut et tuis luctum, et gaudium hostibus relinquas; sed contra potius, quod omnino speramus et pro quo ad Deum nostrum assidue preces fundimus, vexillum fidei gloriose erigas, et quam contristaveras, laetam facias ecclesiam; nec
5 iam solum veniam merearis à Domino, sed coronam. Vale, viriliter age, et confortetur cor tuum. Romae die 28 septembris 1607.

Reverendae admodum D. V. frater et servus in Christo

Robertus cardinalis Bellarminus.

Epist. famil. LII.

10 Cf. Apologia pro responsione sua t.XII, p.226-228.

Historia S.J. pars.V p.230-231.

Summar.addit. p.92-94.